Prologus lactantii libri [illegible]
Capitulum primum
liber primus de falsa [illegible]



AGNO ET EXCELENTI INGE
[illegible] cum se doctrine penitus de predi
[illegible] quicquid laboris poterat impendi
contemptis omnibus [illegible] actoribus
ad inquirende [illegible] studium contule
runt. Existimantes multo esse preclarius
humanarum diuinarumque rerum inuestigare
ac scire rationem quam instruendis opibus
aut cumulandis honoribus inherere.
Quibus rebus quoniam fragiles terreneque sunt
et ad solius corporis pertinent cultum nemo
melior nemo iustior effici potest. Erant quidem illi ueritatis cog
nitione dignissimi quam scire tanto opere cupierunt atque ita ut eam rebus
omnibus anteponerent. Nam et abiecisse quosdam et renunciasse rem familiarem suam
uniuersis uoluptatibus constat ut solam nudam que ueritatem nudi
expeditique sequerentur. Tantum apud eos ueritatis nomen et auctoritas ualuit
ut in ipsa esse summi boni premium predicarent. Sed neque adepti sunt id
quod uolebant et operam simul atque industriam perdiderunt. Quia ueritas
id est archanum summi dei qui fecit omnia ingenio ac propriis sensibus non
potest comprehendi. Alioquin inter deum hominemque nihil distaret si consilia et
dispositiones illius maiestatis eterne cogitatio assequeretur humana.
Quod quia fieri non potuit ut homini per se ipsum ratio diuina innotesceret non
est passus hominem deus lumen sapientie requirentem diutius errare ac
sine ullo laboris effectu uagari per tenebras inextricabiles. Aperuit

Quamquam primo libro religiones deorum falsas esse
monstraverim quod hi quorum varios dissimilesque cultus per universam terram hominum stulta
persuasio suscepit mortales fuerunt factique
in vita dum necessitate mortis concesserint tamen ne
qua dubitatio relinquatur · hic secundus liber fontem ipsum patefaciet errorum causasque omnes explicabit quibus decepti homines et primitus deos
esse crediderint et postmodum persuasione inveterata in susceptis religionibus constantissime perseveraverunt / Bellio enim cunctis manibus
et hominum impia voluntate detecta singulis dei asserere maiestatem
susceperim utilius et maioris officii revocandi homines a pravis itineribus et in gratiam secum ipsos reducendi ne se ut quidam philosophi faciunt tanto opere despiciant ne se infirmos et supervacuos et nihil et frustra omnino natos putent quae opinio plerosque ad vitia compellit. Nam dum
existimant nulli deo esse nos curae aut post mortem nihil futuros
totos se libidini abdicant Et dum licere sibi putant hauriendis
voluptatibus saciet inhiabunt per imprudentes in laqueos mortis incurrant
Ignorant enim quae sit hominis ratio quam si tenere vellent imprimis dominum suum agnoscerent
Virtutem iusticiamque sequerentur / terrenis figmentis animas suas non substernerent mortiferas libidinum voluptates non appeterent. denique
se ipsos magni extimarent atque intelligerent plus esse in homine quam videtur
Cuius vim condicionemque non aliter posse retineri nisi cultu veri patris
sui deposita pravitate susceperint. Ego quidem sic omnia de summa rerum sepe
mecum cogitans admirari soleo maiestatem dei singularis quae tenet
regitque omnia in tantam venisse oblivionem ut quae sola debeat coli sola
potissimum negligatur homines autem ipsos ad tantam cecitatem esse deductos ut
vero ac vivo deo mortuos preferant terrenos aut sepultos eque qui fundator

ipsius terre

probatum Celsi hoc proverbium Socratis habent quod supra nos nichil ad nos. Procubandum igitur in terram et manus ad preclara opera nobis datas convertimus in pedes. Nichil ad nos celum ad cuius contemplationem sumus excitati. Nichil denique lux ipsa pertineat. Certe victus noster e celo est. Quod si hoc sensit non esse de rebus celestibus disputandum, nec illorum quidem rationem perstat comprehendere que sub pedibus habebat. Quid ergo? Num erravit in verbis? Veri simile non est, sed minus id scripsit quam locutus est religioni minime serviendum, quod si aperte diceret nemo pateretur. Quis enim non sentiat hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua providentia gubernari? Quoniam quidem nichil est quod possit sine ullo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore destituta dilabitur, navis sine gubernatore abit in profundum, et corpus derelictum ab anima diffluit. Nedum putemus tantam illam molem aut construi sine artifice aut stare tam diu sine rectore potuisse. Quod si publicas illas religiones voluit evertere, non improbo, immo etiam laudabo, si ipse quod melius sit invenerit. Verum idem per canem et anserem deierabat. O hominem scurram ut ait Zeno epicureus ineptum perditum desperatum. Si cavillari voluit religionem, dementem, si hoc seriosius fecit ut animal turpissimum pro deo haberet. Quis iam superstitiones egyptiorum audeat reprehendere quas athenis Socrates auctoritate sua confirmavit. Illud vero nonne summe vanitatis, quod ante mortem familiares suos rogavit ut esculapio gallum quem voverat pro se sacraret. Timuit videlicet ne apud Radamantum receptore voti reus fieret ab esculapio. Dementissimum hominem putarem si morbo affectus perisset. Cum vero sanus hoc fecerit, est ipse insanus qui eum putat esse sapientem. En cuius temporibus natum esse se homo sapiens gratuletur.

ideamus tamen quid illum Socrates docuerit qui cum totam physicam repudiasset eo se contulit ut de virtute et officio quereret. Itaque non dubito quin auditores suos iustitie preceptis erudierit. Docente igitur Socrate non fugit Platonem iustitie vim in equitate consistere, siquidem omnes pares

et vite. Adeo sacrificium nec in visceribus opus est nec in fibris nec in cestibus que sunt
utique vanissima, sed his que de intimo pectore proferuntur. Itaque ara dei que
maxima est et que in corde hominis collocata inquinari non potest sanguine. Iusticia
imponitur patientia fides innocentia castitas abstinentia. Hec est verissima lex
sed illa lex dei. Ut a Cicerone dictum est, recta et divina semper que recta et hone-
sta iubet vetat prava et turpia. Cui qui paruerit iustissime ac rectissime legi iuste
ac legittime necesse est vivere. Cuius legis pauca et quedam capita posui que sum
pollicitus eam me tantummodo esse dicturum que summum fastigium virtuti et iustitie in-
ponerent. Si quis volet cetera omnia comprehendere ex fonte ipso petat unde ad nos
rivus iste manavit. — De vero dono et sacrificio divini et
forma laudandi deum et forma orationis. Capitulum XXV.

Nunc de sacrificio ipso pauca dicamus. Ebur inquit Plato non castum
donum deo quicquid subripi potest. Sed sic hoc videlicet non oportere in-
victi offerri aliquid quod sit ex mortuo corpore. Cur illud non videt non debere
incorporali corporale munus offerri? Quanto melius vereque Seneca: Vultisne vos
inquit deum cogitare magnum et placidum et maiestate leni venerandum amicum
et semper in proximo, non immolationibus et sanguine multo colendum, que
enim ex trucidatione inmerentium voluptas est, sed mente pura bono honestoque
proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt, in suo
cuique consecrandus est pectore. Vestes igitur et gemmas et cetera que habentur in pretio si quis
putavit deo cara, his plane quid sit deus nescit, cum putat voluptati esse
eas res quas et homo si contempserit iure laudabitur. Quid ergo castum, quid deo
dignum nisi quod ipse in illa divina lege sua poposcit? Duo sunt que offerri debeant,
donum et sacrificium; donum in perpetuum, sacrificium ad tempus. Verum apud istos qui rationem
divinitatis nullo modo intelligunt donum est quicquid auro argentoque
fabricatur, item quicquid purpura et serico texitur. Sacrificium est victima
et quecumque in ara cremantur. Sed utroque non utitur deus, quia ipse incorruptus et illud

tectur ab eo. Tunc eruere dei templum conabitur et iustum
populum persequetur et erit pressura et contritio qualis numquam fuit
a principio mundi. quicumque crediderint atque accesserint ei signa
buntur ab eo tamquam pecudes. qui autem recusauerint notam eius
aut in montes fugient aut comprehensi exquisitis cruciatibus
necabuntur. idem iustos homines obuoluet libris prophetarum atque
ita cremabit. et dabitur ei desolare orbem terre mensibus
quadraginta duobus. id erit tempus quo iustitia proicietur et in
nocentia odio erit quo mali bonos hostiliter predabunt. non lex
aut ordo aut militie disciplina seruabitur non canos quisquam re
uerebitur non officium pietatis agnoscet non sexus aut infan
tie miserebitur. confundentur omnia et miscebuntur contra fas contra
iura nature. ita quasi uno communique latrocinio terra uniuersa ua
stabitur. Cum hec facta erunt tunc iusti et sectatores ueritatis
tis segregabunt se a malis et fugient in solitudines. quo
audito impius inflammatus ira ueniet cum exercitu magno
et admotis omnibus copiis circumdabit montem in quo iusti
morabuntur ut eos comprehendat. illi uero ubi se clausos un
dique atque obsessos audierint uiderint exclamabunt ad deum
uoce magna et auxilium celeste implorabunt et exaudi
et eos deus et mittet regem magnum de celo qui eos eripiat
ac liberet. omnesque ferro igneque disperdet.

Quomodo in fine mundi sit et uaticinia prophetarum et uatum gen
tilium uates et uersibus sybillinis. Capitulum xvii.

HEc ita futura esse cum prophete omnes ex dei spiritu
nunc et uates ex instinctu demonum cecinerunt. Sibil
los enim quas supra nominaui descripta magnitudine sequi huius
extremi pios ac fideles a nocentibus segregatos cum fletu
et gemitu extensuros esse ad celum manus et imploraturos